

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 88. (Neovidensis 1807. Nro. 87.)

*Sermo Politicus.**Super Aristarchis (Criticiis)*

Elysiun-Neum. - Die Venens 13. Nov. (Neovid. 30 Oct. 1807.)

S e n t e n t i a.

*Aristarchus princeps Criticorum.**Abbas Feller in Dist. h. for.*

A*ristarchus*, ortus ex Samothracia, Ptolemaei Philometoris praeceptor circa A. a. X. 148. hic ipse fuit qui nostra dicendi ratione opera Homeri; Pindari; Aetetae et aliorum celebrium auctorum recensuit. Horatius ejus in Poesi sua multa cum laude meminit, ob acre judicium, quo ceu rerum intelligens pollebat. Haec etiam ratio est, quod Ci. Abbas *Feller* (vere prioris seculi lumen) asserat: Aristarchum primum et severissimum suae aetatis fuisse Criticum — quare, hodie dum Critica arte insignis vir, *Aristarchi* insignitur nomine.

Quid de hodiernis mihi dicendum Aristarchis profecto haereo. Ante bellum multi nostrorum scriptorum cupiditatem belligerandi praedicabant, et nunc, alma reventa pace, perstringunt, *aristarchisant*, si ita loqui fas est, quod paullo ante buccinabant, hoc vere

est, ut pravum fert germanicum adagium: pallium adplicare vento.

Nequaquam mihi est animus, mens, voluntas, consilium, doctissimos hosce viros conveniendi; doctrina procul est a me, et non sum dignus ut illuminatorum corrigiam calcamentorum solvam, aut obligem, nec declarem: jure ne, vel contra agant; et ideo stilum vertam, lectoresque politicis novis oblectabo.

A n g l i a.

Londino (10. Octob.) Bini gravis argumenti cursores publici, ad ministrorum Collegium nostrum adpulerunt — alter Petropoli, alter ab Admirali *Collingwood. D. Hunter* qui a legato nostro Petropoli residente Illustri *Lewis-Gower* isthuc expeditus est, quindenam non amplius ad perficiendum iter suum opus habuit; litterae, quas attulit, gravis argumenti esse debent, quippe Consilio Status, quod in earum argumento habebatur, peracto, nihil de earum complexu rescire licuit, navis: *Elebra* portum Plymouthum subit, haec quoque litteras ab Adm. *Collingwoodio* secum tulit, et harum gratia, hesterno Consilium Status celebratum, at nihil ex eo publici juris factum.

Classis nostra, et Danica, una cum copiis nostris in portibus nostris expectantur, id certissimum est: nos Seelandia decessuros, verum Duci *Ersing* demandatum: ut sua Classicula utrumque Fretum, usque obsidione teneat, quo per hyemem licuerit.

Legatus noster in boreali America *D. Ersing* revocatus est; ei successor jam denomi-

natus est, qui propediem et absque mora discessurus; secundum asserta americanae navis Centurionis ab Anglicana adprehensae videbatur, ejus discessus Neo Eboraco occasione, communiter: quasi bellum cum M. Britannia indeclinabile foret.

Rationes nostrae cum Russia nondum penitus ad liquidum perductae sunt. Ex Portugallia, quovis momento temporis, gravis argumenti nuncia exspectantur, constat; gallicum et hispanicum legatum in procinctu abeundi Ulyssipone fuisse, quosvis nostrates mercatores confestim merces cistis imposuisse, maximamque navalis Potentiae Portugallicae partem ad danda vela paratam fuisse.

Consectaria justae non solum sed et politicae cum Dania agendi rationis, jamjam perspiciuntur; et paullo post fruituram M. Britanniam liquidissima illa et jucunda voluptate probabile est: in continente nullum amicum et foederatum amplius habendi.

Nuper admodum Imperator Russiae Edictum vulgavit, cujus argumento, dispositionibus rei commerciali nostrae, tot et tanta impedimenta ponuntur, ut absque exaggeratione ceu perfecta omnis commercialis nexus prohibitio nobiscum censi, et reputari possit; aula quoque Petropolitana maxima cum virium intensione, necessarios adparatus curat, ad portus suos adversus amicabilem ex parte nostra accessum muniendos, atque Baltici maris libertatem conservandam.

Hollandia inaudita diligentia naves no-
 stas aditu, mercesque invectione prohibet,
 Rexque Prussiae in conformitate Pacis Tilsita-
 nae quosvis portus suos Anglicanis navibus
 oclusos esse declarat, imo praeterea omne
 Prussiam inter et Angliam commercium inter-
 dictum est.

Paginae aulicae de i. h. m. sequentem
 maritimarum virium nostrarum texunt Sta-
 tum et divisionem: In Freto Anglicano et
 Hybernico 147 naves de linea, mediae et in-
 fimae magnitudinis; in Oceano boreali 190
 in Hispania, Portugallia, Gibraltaria 31,
 in Mari mediter. 57, in oris Africanis 2,
 Indiis Occident. 64, Jamaica 32, America
 et Terra nova 36, America australi 20,
 Promontorio bonae spei 8, Indiis orienta-
 libus 44, in portibus et sub instructione
 120, naves excubiis aptae 13 pro nosocomiis
 et carceribus 55. Stationes ordinariae 183
 in fabricis 85, Summa proin efficit 232
 lineales, 33 naves cum 50 torm. 259 me-
 diae 292 tertiae 251. infimae molis naves.
 Summa integralis 1067 naves. Ad hunc
 locum notandum: multas harum usu de-
 tritas, et inutiles esse, neque Magnae Bri-
 tanniae eum praesto remigum et nautico-
 rum militum numerum, qui ad enormem
 hunc navalem adparatum debite instruen-
 dum requiritur.

T u r c i a.

Constantinopoli 29. Sept. Magnus Sultanus animi constantiam exhibet, quae omnes Turcas in admirationem rapit. Novo Decreto copias ad normam Europaeam exercendas praecepit, quin Janitsarorum mussitationibus aures praebuerit. Jamque Solimanno Copiarum Praefecto (quondam in Austriacis stipendiis) id mandatum transmisit: eam copiarum partem, quae in urbe *Tichiffis* in aedibus militaribus tenentur, ad eam normam, redigendi, in qua sub regimine exauctorati praecessoris sui fuerunt; vestes solum turcicas, non Europaeas habeant.

His admodum Janitsari commoti sunt; unum eorum agmen, ex arcibus *Fanaraki* revertens, in via Imperatorem, quae *Tophanam* ducit, offendit, congregati indecora prorsus ratione egerunt, Sultanus eos facessere iussit; at ii Comitatum Imperatoris adorti; praetoriani interea advenere, et vim adhibere debuere; ultra 50 Janitsari adprehensi, mox infelici fune enecti in conspectu contribulium qui nec hiscere ausi; haec vere animi constantia est.

Anglicana Classis, quae ad breve tempus *Tenedo* decessit, ad priorem juxta *Dardanellas* stationem revertit, at res profecto singularis: Gallicos militares officiales, qui in memorato freto imperium militare tenebant, Dalmatiam et Italiam rursus repetiisse.

G a l l i a.

Parisiis 26. Oct. Monitor duorum argumentorum meminit, quae Minister Thesauri publici, et Deputatio Collegii status, ad Imperatorem retulit: primum concernit rationes conficiendas cum societate *Desprez, Vanlerberghe, et Ouhrad* quae pluribus ex annis praecipue com meatum pro terrestri et navali exercitu subministrarunt, nuncque impares solvendo effecti; postquam ab anno 9 in valore 242 millionum 800,000 Fr. suppeditassent; et hactenus 222 mill. Fr. percepissent; Tentatae (ita loquitur) speculationes, quibus haec societas cum exteris potentiis se dedit, publicas facultates in periculum conjecere, et eas convulsere; quam conturbationem mensa argentaria in hyeme A. 14. ad 1806. experta, gallicanum campsorialem Cursum in omnibus emporiis devalvavit, publicamque rem discrimini proximo exposuere, si id genus discrimina in regione Majestatis Vestrae sceptro parenti possent evenire. — Alterum argumentum contentiosum inter Praefectum Dolensem ex Districtu Jurano et Pro-Praefectum ejatem, inque ceteris eum habebat effectum: quod Imperator Ministro neg. int. commiserit: Praefectis et Pro-Praefectis urbanis serio injungendum esse; ne in litigiosis publicae administrationis argumentis quidpiam typis edatur, aut publicetur.

Secundum Ephem. Franciae Principis Primatis in Galliis mora aliquanto adhuc tempore duratura videtur.

Leguntur in publicis paginis sequentes compendiarie de Russici exercitus in Moldavia et Valachia Duce *Jōanne Barone Michelson* biographicae animadversiones. Editus hic heros anno, 1740 in ditione Hannoverana 1754 stipendia Russica amplexus ad praetorianam Turmam; in pugna ad *Zorndoff* lanceæ ictu in fronte sauciatus, et sup. Locumtenens renunciatus; 1758 vero in proelio ad *Zollichviam et Francofortum* ad Oderam, tribus plumbeis glandibus vulneratus, atque Centurio denominatus; A. 1770 cum dignitate Excub. Praefecti in bello Turcico pugna ad *Largam* in laevo brachio sauciatus est; 1771 singulari in Polonia agmini cum imperio praefuit atque strenuitate et alacritate animi cum primis excelluit, sub imperio *Suvarowii* Cracoviae occupationi interfuit, tum exercitum moderatus, ad Lublinum, perque suam alacritatem, animi lenitatem, et alienum a lucro animum singularem adeptus gloriam. Ad *Kadow* Mareschallum *Pulavsky*, qui toti Russiae cruentam devastationem minatus, et Imperatrici metum injecit, internecina Clade adfecit qui exercitatissimis Russiae Ducibus praevaluit; *Michelsonius* eotum ut Colonellus in subsidium vocatus, prius aderat, quam Rex Poloniae Varsoviae captus fuisset, eique salutem tulit; omniaque foeda adversus Regem et Russiam molimina irritavit. Anno 1763 relatis octo et viginti victoriis, in quibus plura quam 50 tormenta bellica tumultuanti *Pugatscheff* ademit, dena tumultuantium millia

in captivitate abduxit, hostesque hos publicae securitatis domuit, et magno Russiam periculo liberavit. A. 1788 cum exigua militum manu Regem Sveciae ad solvendam obsidionem Fridericohamiae adegit, et 1789 totam provinciam Savolakiam occupavit, hostem ex ea ejecit; et proprio voto ad exercitum in Moldaviam expeditus; in hoc singulari diligentia sub imperio Principis *Potemkin* versatus, copiis speculatoriis ad *Ismail* praefuit. Imperatrix Catharina eum Praetorianae Praefectum, et Turmae equestris denominavit; quam admodum utiliter in Svecos duxit; ejusque agendi sapiente ratione bello Svecico finis impositus est. A. 1806 tanquam copiarum equestrum Dux exercitui in Moldavia supremo cum imperio praefectus est; qua occasione arces *Chotzin et Bender*, Bessarabiam, Moldaviam et Valachiam occupavit, *Ismail* obsidione cinxit; ad *Turbatz*, *Cadartzin* prope *Gyurtsu* mandata sui Principis, nihil morantibus adversis tempestatibus in effectum gloriosè dedit: verum multiplicia fatigia ejus vires jam fregerunt; quibus tandem succubuit, postremis vitae suae annis. Equitatus Generalis Dux, Commendans copiarum in Moldavia, Valachia, et Bessarabia; Gen. Gubernator Russiae albae, Eques Ord. S. Andreae, Alexandri, Annae et Stanislai primae Classis, S. Georgii tertiae Classis etc.